









2. D. B. V.

1671, 17

17

INIQUIVITAS MA-  
GNI EXEMPLI,

SIVE

DIATRIBE

De

SENTENTIIS EX PLENITU-  
DINE POTESTATIS PROPECTIS,

von *Machtsprüchen/*

Ad C. Cornel. Tacit. Annal. Lib. XIV, c. 43.

PRÆSIDE

DN. PHILIPPO MÜLLERO,

Eloquent. & Poës. P. P. ac h. t. suæ

Facult. Decano,

*ad liberale exercitium publicè*

*proposita*

AB

AUTORE & RESPONDENTE

JOHANNE DAVIDE STAPENIO,

Lipsiense Misnico.

Ad d.

Septembr. Anno M. DC. LXXI.

---

JENÆ

Typis JOHANNIS NISL



INNOVITAS MA-  
GNI EXEMPLI

DIATRIBE  
SENTENTIAS EX PLENITIA  
DINE POTESTATIS PROTECTIS

von Christophorus  
Abc. Carol. Tacit. Annal. lib. XIV. c. 44.  
PRASIDE

DN. PHILIPPO MÜLLERO

Blodumne & Boel P. P. ac in. Jus  
Facult. Decano  
ad liberales exercituum publicis

AUTORE & RESPONDENTE  
JOHANNIS DAVIDE STAPENIO

Lipicis M. D. C. LXXII  
nono M. D. C. LXXII

Typis Johannis Nicol  
Lipicis







I. N. D. N. 7. C.

INIQUITAS MAGNI EXEM-  
PLI, SIVE DE SENTENTIIS EX  
PLENITUDINE POTESTATIS

PROFECTIS,

ad C. Cornel. Tacit. *Annal. Lib. XIV. c. 42.*

CAPUT I.

HYPOTHETICUM.



*Abet aliquid ex iniquo omne magnum exem-  
plum, quod contra singulos utilitate publica re-  
penditur; aiebat C. Cassius, notæ severitatis  
Senator, apud C. Corn. Tacit. *Annal. lib. XIV.*  
*c. 42.* occupaturus scilicet objectum pro in-  
fontib. sceleris patrati servitiis è familiâ Pe-*

danii Secundi, urbis præfecti, quem servorum unus domi suæ  
interfecerat, argumentum; & isto apophtegmate, ceu acer-  
rimo telo perurgens supplicium *quadringentorum* diversa æ-  
tate sexuque capitum. Tenuit verò hæc sententia, militari  
contra tumultuantem plebem præsidio tum peracta; & post-  
modum non unius iudicio probata. Aliis, quos nomi-

nat Arniseus, *de Jur. Majest. Lib. III. c. 1. n. 9.* annumeres ut

A 2

nuperum,





nuperum, *Arnold. Clapmarium*, qui *lib. V. Arcan. c. 4.* hoc  
effatum vocat *aureum*: asseclam nactus qui ejus sat studi-  
osè congestorum sese correctorem & castigatorem profite-  
tur, *Martin. Schokium*, sane adjectionem, quæ permodica est,  
pactum. Nec assertu ampliori opus est, *Cassianum* hoc au-  
su pari passim invaluisse, ac frementib. licet & ingemiscen-  
tibus, quos miseratio aut indignans animus incendit, manu  
viq̄ue armatâ confici. Enimverò, cum prælatam à *Cassio*  
antiqui juris morisque reverentiam adspecto, velut explora-  
to: *super omnibus negotiis meliùs atque rectius olim provisum*  
*esse, & quæ convertuntur. in deterius mutari*: cum item faci-  
norum magnitudinem pensito, quæ nisi extremo remedio vix  
cohibentur; *Magna* in terrorem an gratiam *Exempla*  
non temerè averfer. Ea vetus Romanis, bonorum alioquin  
exemplorum feracissimis, tam tristis *S. C. T.* causa subfuerat, li-  
berâ adhuc republicâ factis: Ut diu postea sub Augusto, alte-  
ro *Silariano*, de quo est *D. de Senatuscons. Silan.* inde sub Ne-  
rone, *Pisoniano* stabilirent. Inconcussum idem sub *D. Marso*  
per *l. penult. C. de his quib. ut indign.* & *D. Hadriano*, autore in  
hunc & *Spartiano*, stetisse comperimus ex *Ulpiano l. 1. de S. C. T.*  
*Silan.* Adde *J. Cujac. O. l. 18.* *J. Lips. ad Cit. Tacit. loc.* Is prisca  
severitatis ritus servabatur, *Ultioni & Securitati*. Hos enim fi-  
nes *Historicus*, post priores illos, exprimit; *cum nulla domus*  
*tuta esse possit, nisi periculo capitis sui custodiam dominis, tam*  
*à domesticis, quàm ab extraneis, præstare servi cogantur*, verba  
*Ulpian. cit. l. 1.* sunt Quamvis autem magna illa etiam servitio-  
rum exercitiis Roma pridem occiderit; adeò *Cassiani* de-  
creti odium unâ cum lege mortuum videatur; superat liber-  
tas & consilium vetustatem in usus posterorum noscendi tra-  
hendique. Ea scriptorib. ac alibi diserta *Tacito* memorandi  
ratio. Si nunc eadem, quæ *securitatis domesticæ necessitas*  
appa-



apparet, tum assecurandi *prudencia*, tum *justitia ultionis* intercedit, ecquam Cassius vel Magnitudinem (quæ novitate & numero plexorum surgat) vel *Iniquitatem* Exempli aperte allegat? Neutram satis idoneè tueri nonnulli videbitur. Non *prudenciam*: An enim *Metus* penes tot infensos, & libertatis dulcedine captos diuturnus salutis custos erat? Alia verò suppetebant in securitatem multo certiora; *unum*, ne nationes in familiis haberentur, sed luxus iste privatorum ad pristinam frugalitatem rediret; *alterum* ut ruri, in opere, in ergastulis continerentur sparsi. Si quoq; caritatem dominorum nativitate ipsa accepissent, tanto consultius eadem urgebantur, præeunte & aliis consimilib. Censorio Catone *ap. Plutarcho*. Sed noster *Ultioni* duo irritamenta suggerit, *Conscientiam* & *Neglectum* reliquorum. Illam, quòd percussor animi cædendi non sumeret, *ut non vox minax excideret; nihil per temeritatem proloqueretur. Indè negligentiam; telum enim inter ignaros vix parari, excubias transiri, recludi cubiculum, inferri lumen, ipsam cædem patrari.* Sane si vox, si arma prodita maturè, societas ut criminis ex consensu ac dissimulatione, ita pœnæ tales involvit. Moralis enim causa iidem, qui non obstant, nec manifestant; quod fieri oportuit. *Quorsum autem*, dicat Anti-Cassius, *insontium perniciem excusamus?* Sic enim tum nulli forent. S<sup>C</sup>ti licet toties iterati autoritas vix una suffecerit. Ex lege sit judicatio ista, ni legem suapte iniquitas in iudicium vocet. *Quæstiones* tamen rectè decernuntur. At nec hæ ulli bono, si nihilominus, per vestigato autore, in omnes sæviendum sit; nec digna Romano senatus sententia, ut *unus ob noxam & furias Ajacis Oilei* tot Innocentium sanguis hauriatur. Terrendis imò, & exactiori curæ adigendis servitiis, quàm immeritò plectendis, talia perscribi credamus. Nam & ipse Ulpianus in præclarâ S<sup>C</sup>ti explicatio-



ne subindè ad *communione*m criminis alligat poenæ rigorem: Si participes sceleris fuerint. §. 5. toties puniendos servos, qui auxilium domino non tulerunt, quotiens potuerunt ei adversus vim opem ferre, & non tulerunt §. 18. Eandem rationem inductum §. 28. *Adriani* rescriptum amplius illustrat, re semper ac merito inclinante ad eos, à qui suspicione cadis aut cōscientiâ attingi viderentur. §. 37. Sed diffusus hisdem *Cassius* Exemplum suum iniquitate non levat; Exemplo tamen alio velat *Decimationis*; perindè ac si non hæc ipsa prout meritum fuerit, asperitate laudabilis aut detestanda videretur. *Utilitate* enim demum *publicam* jactat. Sed contra: *publica necessitas*, ajat *Christoph. Forstnerus*, non ineptus talium æstimator, in *cit. loc.* malè à *Cassio* in crudelitatis patrocinium trahitur, quæ necessitas non erat. Alia omninò eaque prompta erant media in utilitatem illam, quæ securitate dominorum constabat. Verendum, ne prætextus iste adversus singulorum odia, publicum dedecus, & *DEI* infontium patroni iram infirmior sit; ac sententiarum tam atrocium autores certâ dignâque vice ulciscatur. Id fatum & aliis imminet omnibus, qui pro tribunali primam sententiæ rationem ab impotenti animorum æstu & potentiâ infreni petunt; tales larvâ utilitatis ac necessitatum publicarum spoliati Magna ut in alios iniquitatis, ita miseriæ propriæ Exempla futuri. Hæc, inquam, aliaque in *Cassiani*, judicii sectatores, ubi sola arbitrii lubido præsumitur, identidem spargi solent. Vicissim tamen, quòd multa summis potestatibus conceduntur pro salute publicâ, quæ privatis non licent, quamvis vulgò vix aliis quàm insignitæ nunc crudelitatis, nunc rapacitatis, & similibus flagitiorum nominibus exagitentur: cordato cuivis in talibus hæsitandum paulum videbitur, ob justiore pro imperantibus præsumtionem, ne vel *Cassium*, vel *Cassii* adversarios, nil discusâ



cussâ judiciorum æquitate, improvidè affectemur. Ea cogitatio nos jam inducit ad utile, nisi fallimur, & insigne argumento scrutinium: *Quid ex aquo, ex usu reipublica trahant sententia Imperantium judiciaria, quæ unâ maxime istorum autoritate & arbitrii plenitudine niti videntur?* Quorum prius *justitia* & boni moris; posterius *prudencia* civilis rationibus expediri debet. Ad hoc igitur, DEO benè juvante, processuri, *De sententiis illis ex plenitudine potestatis profectis in posterum proponemus.*

## CAPUT II.

THETICUM

De

# NOMINE.

§. I.

**S**ententia ex plenitudine potestatis profecta, cujus Titulum fronti præfiximus, è *Sententia, Potestatis, & Plenitudinis*, quæ potestati inest, nominibus coalescit.

I. Sententia, à *sentio*, oppidò *πλύσημι*, uti collector Rebuff. ad l. 122. & l. 240. de V. S. Speculator de sentent. l. 2. p. 2. §. 2. annotant.

*Græcis γνώμη, κρίσις, ψήφισμα*, de quib. H. Steph. in *Theaur. Quintil. VIII, 5.* Voss. *Instit. Rhet. l. II. c. 15. §. 3.*

Nobis ea dicitur, quæ *Judicialis* est.

§. 2. II. *Potestatem*, è vario usu, quem Rebuff. ad l. 44. de V. S. Bertachin. *Repertor. Tulch. b. v. percensent*, cum H. Donello l. 3. c. 1. §. 3. intelligimus esse *facultatem pro autoritate quid faciendi statuendi.*

Differt à *potentia*, quæ vim agendi præcise denotat. Nam *ista* jus seu licentiam propriè exprimit; sive vires unâ sint, sive deficient. Dn. Stahl. *Instit. Metaph. p. l. c. 5. p. m 35.*

Nomi-



Nomina tamen sæpè commutantur : Unde ortam, quæ tamen aliundè dilucet, Baldi & affecclæ Petri Anton. de Petra. *Oper. de Potest. Princip. c. 3. q. 1.* distinctionem opineris, ut *potestas* sit ens; *potentia* ante ens; *illa* rem perfectam, *hæc* futuram ostendat.

*Græci* benè, ἐξουσίαν, ἐξουσιότητα potestati, Steph. in ἐξουσι. δύναμιν item; sed ἐξουσία &c. potentia, uti & δύναμις substituunt.

Nec *Germanis* id neglectim habetur, cum vocum *Gewalt* / *Macht* / *Fug* / *Befugnis* / *Berechtfame* / *Herrschaft* / *Botmäßigkeit* etc. sensum reb. accommodant.

§. 3. Cæterum potestatem dixi *facultatem*, quæ H. Grotio *de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 4, 5, 6.* dicitur qualitas moralis perfecta, personæ competens, ad aliquid justè habendum vel agendum;

Ajo, *perfectâ*, ut discernatur ab ἀξία, *aptitudine*, quæ, explicatore Michaël. Ephesio, τὸ πρέπον, ἢ τὸ προσαρμοζόν est. At *Facultas* jus strictè dictum involvit, ac sub sese continet potestatem & *sui*, (add. *Not. Magnif. Dn. Ziegler.*) quæ libertas vocatur, & *Aliorum*, ea sive sint Personæ, sive Res & Actiones earum. Ad quarum has relata *Dominium*, ad istas *Imperium* dicitur L. Ann. Senecæ, *de Benef. lib. VII, c. 4, 5, 6.* ita probante Dn. Pufendorf. *Element. JP. univers. l. 1. d. 7. §. 3.*

Id discrimen tamen ὡς ἐπισημασθὲν obtinet. *Satis enim autoritatis est in exemplis veterum, dominos & dominia latius appellantium. Neque juniores* (ut cum *dominium Jurisdictionis & Proprietatis* formant) *tam adstrictè loquuntur, ut novitatem hinc quisquam suspectare debeat;* verba sunt Dn. Boecler. *ad c. 1.* Et quem *Domini dominatus* ve tituli Romanis Principibus usurpata, in florente latinitate, fugiunt? Conf. Dn. D. Struv. *Exercit. J. C. XI. §. 3.* Istud *objectum* facultatis trifidum, *voculâ Quid innuitur.*

§. 4. Ra-



§. 4. Ratio *sub qua* in talib. occupamur, *actus effectus-*  
*ve* aliquis est. Eodem *dicta pro imperio* tendunt, quam late  
nimirum hujus activitatis sphaera circumducitur. Ita *univer-*  
*salis* illa legumlatio & directio reip. quae *αρχιτεκτονική* dicitur,  
huc pertinuerit. Grot. l. 1. c. 3. §. 6. Una ergo & *βουλευτική*, sive  
*πολιτική*, quae *singularia* directè publica flectit; & *δικαστική*,  
rerum *inter singulos* controversarum, ad publicam salutem,  
pacificatrix.

§. 5. *Causa* seu actus Facultatis *facto statutoq;* ab-  
solvitur.

*Factum* omne sive per se, seu per alium in rebus, sub-  
jectis destinatum ausumve continet.

*Statuendi* ratio decretoriâ animi declaratione agno-  
scitur, sive ea omnes seu partem civitatis in aliquo genere  
negotiorum stringere debeat.

*Stringere* dico: cum facultas sine morali effectus seu  
obligatione eorum, in quos pollet, ut exequantur *jussa*,  
haud concipiatur.

§. 6. *Causandi* talia ratio est *autoritas*.

Nomen varii & reconditi sensus. *Varietas* ad l. 120. de  
V. S. Rebuff. item Tusch. Bertachino assignata. *Vis* depre-  
hensa à Græcis, qui *ἰσχυρία αὐτὸ καθ'αυτὴν ἀδύνατον* per  
Dionem Cassium l. 43. fassi latinum servârunt.

Nunc *autoritas* sit *Jus Imperii*; & *pro autoritate* factum,  
idem, quod *vi & jure imperii*.

§. 7. Undè, cum 3. *Plenitudo potestatis* dicitur, *Plenitudo*  
propria est corporeis, ut loco, cujus undecunque occupata  
receptivitas solidum seu corpus reddit: uti *vacuitas* contraria  
& defectum impleturi notat, & hoc admittendi aptitudinem.  
Conf. J. C. Scalig. *Exercit. V.*

Cum ad moralia, ut modò, transfertur, de Imperio

B quod



quod dixi, amplius ita habendum: istud non uniforme videri, sive *objecta* ejus, sive *modus* spectetur. Pro eâ diversitate autoritas & extensionis & intensiois, ad similitudinem qualitatis naturalis, quodammodo capax nova nomina sortitur.

Ab *intensioe potestas*, eaque dispari, jam *subordinata*, quæ cum *mero, mixtoq; imperio, Jdictione mandatâ, ordinariâ &c.* magnâ parte coincidit; jam *suprema, independens, αὐτοκρατορία, ἀρχὴ ἀνυπέυθου*, *Majestas*, voce speciatim acceptâ, audit.

Ab *extensione, limitata vel illimitata, sacra, civilis, bellica, &c.* salutatur.

Ab *utraque πῦρβασιλεία, πῦρπρωτοκροτία, absoluta, plena, & in abstracto, plenitudo potestatis* vocari suevit. Imperium enim, tamquam virtus actuosa in societate, tendit initio in personas, earumve res actusque, specie numeroque finitos, per determinati generis operationes. Eadem & ad plura, & modo liberior, progressa si omni vinculo solvatur, *imperium* mox *plenum, & συνεχῆσαι* ad limitatum, *plenius, plenissimum* appellatur; ut sit *Jus imperii, sive facultas in eos, quibus imminet, pro natura talis societatis, irrestricta.*

Illa verò ut sese subjecti modive ac termini restringentis intuitu habeat, postea tangemus.

§. 8. Id quidem fatemur, nec dum plenitudinem illam satis deprehendi. Nam ut *Majestatis civilis* ratio propria illam sponte videtur inducere, cum tamen ex singulari modo *Majestatem* alicubi exerendi id nomen obortum sit, non jam ipsum *civilis Majestatis* axioma *plenum* dicetur, sed *eximia ista actuum majesticorum species* nomen sustinebit. Pari fere sensu, quo *dominatio, jus dominationis, jus in manu positum, manu gubernare, manu agere, obtendere, ἐπιχειρῆσαι τὰς ἐπιχειρίας, jus dominationis supremum, vis potestatis, regni, imperii*



*imperii, Principis, ἐπιτροπικὰ νομικὰ δικαία, exceptiones regia, jura exorbitantia, dispensationes &c. à Clapmario l. 5. c. 2. & 3. & eminentis dominium Grotio c. 1. annotantur.*

§. 9. Unde nunc *sententia ex plenit. potest. profect.* non illa, quæ à Majestate civili qualitercunque provenit, intelligetur; sed ea, quam singularis majestatem exercendi bono publico modus parit.

Uti habet *Germanica* ejus appellatio *Macht-spruch* / & assimilati sensu formulæ, cum simplicibus *Meinung* / *Erfântniß* / *rechtl. Erfântnis* / *Berordnung* / *Ausspruch* / *Rechtsspruch* / *Urtheil* / *Bescheid* / *Abschied* / adduntur. Cum additamentum hoc (*Macht*) non *ἐπιτροπικὸν* modò sit, notans potestatem supremam tanquam principium sui effectivum, sed & singularem superioritatis vim usumque notet, ac eum quasi reduplicet, veluti rationem sui inferendi ac decernendi propriam.

Quam ad mentem coeunt phrasæ: *aus Kånserl. Königl. Chur-Fürstl. hohen Landes-Fürstl. Macht / Vollkommenheit / Gewalt und Botmäßigkeit &c. vid. Goldast. Polit. Imper. p. 13. Diss. apolog. Gotbofr. Anton. tb. 25.*

### CAPUT III.

De

## DEFINITIONE.

§. 10.

**E**A nominis acceptione de re in posterum acturis sententiarum è plenit. potest. profect. *Natura, Existentia, Origo, Subjectum, Species, Modus, Locus, Tempus, Jus & Usus, cum Con- & Disconvenientibus* occurrit. E quibus *NATURA* earum, tanquam in reliqua scitu necessaria antecedens, talis videri potest:

SUPREMI JUDICIS, SUPER CAUSSA IN JUDICIUM

B 2

DEDU-



DEDUCTA, NON ATTENTO JURE ET ORDINE RE-  
CEPTO, VI EMINENTIS DOMINII, INTER PARTES  
PRONUNCIATIO.

§. II. Hic typus duabus absolvitur partibus, *Una*  
communem omni sententiæ rationem includit, *Altera* No-  
stram specificat. Nam sententia in genere est *Judicis, super*  
*causâ in judicium deductâ, inter partes pronuntiatio.* Magnif.  
Dn. Struv. *Cit. Oper. Exerc. XLIV. §. 3.*

*In Genere, dico; quamvis Durandus c. l. §. 1. nomen hoc*  
*ad Definitivam cogat, appelletve Judicalem definitionem, qua*  
*controversiæ finem imponit, condemnationem vel absolutionem*  
*continentem. Ita & Donell. l. 17. c. 3. §. 2. Unde & excommu-*  
*nicationem, interdictum aliave judicis præcepta excludit.*

Sed 1. eum repugnare sibi dixeris, qui speciem pro ge-  
nere ponit; mox tanquam species recenset Interlocutoriam,  
Præceptum, Multam, Dispensationem, Definitivam. Non  
jam enim opus est Principale pro communissimo supponere.

2. Illa cum aliis nostræ consonabit, si objectum seu  
caussa, suppresso *principalis* additamento, designetur. Sic &  
incidentium quoque decisio *sententia* dicetur, & sententia  
quævis bono sensu *Definitiva*.

§. XII. Intereâ Sententia audit 1. *Pronunciatio*, sensu  
eodem, quo Aristoteli *περ. ἔργων. s. 1. c. 4. ἔσ.* nominatur *λό-*  
*γος προφορικὸς*; qui porro in *ἀπόφασιν καὶ κατὰ φασιν* abit.

Convenit autem per omnes suas species, 1. in *Certitu-*  
*dine*; à quo, quis, de quo, ad quidve adstringatur; ne do-  
lus aut error vitiet orationem. Id verò præstat (1.) *Animus*,  
sive id, quod dicendo intenditur. Valet enim & heic, quod  
*Offic. lib. I. Cicero tradidit: quid senseris, non quod dixeris,*  
*(præcipuè) cogitandum. (2.) Animi Character.* Is autem est  
signum quodvis, unde mens probabilissimè colligitur. Sic in  
judicio



judicio cum *verba* voce an scripto expressa, prout ea sine do-  
lo malo ac pro tempore & usu iudicii rectissime intelligun-  
tur. *Conf. l. 2. C. de sentent. ex lib. recit. Rebuff. ad l. 44. de V. S.*  
tum *signa alia* militant quae ordinariè ex curiae stylo adhiben-  
tur, cum iudicis intentio patefit. Nec enim insolens alio,  
quam oratione, interprete animi in ipso iudicio nonnun-  
quam utendi institutum. Id modò ferat *συνθήκη*, vi cuius  
istud *σημαίνον* prætenditur, eorum, quorum interest, & qui-  
bus debetur, ut de mente significantis evidenter constet. Ad-  
eò nil impedit, quòd fortè an *συνθήκη specialis* loquendi ex  
fori usu alteri vulgari non gemina sit; quod frustra olim Car-  
thaginenses ap. *Appian. in Lybic.* excidio proximos queri me-  
minimus. Nam *ὀνομασπείησις* cuius societati artique pro re-  
rum subjectarum indole permiffa est. Vide sis *Platon. in Cratyl.*

Ipsa igitur verba *καεγαλμει ζεν* videbuntur animum ju-  
dicis, accepta 1. *solitariè*. Tunc valent partim ex *populari*  
usu; partim *eximio*: & hoc (1.) eo quem *prudentes* suae quique  
professionis probant. Ac ea probabilitatis pars Rhetorib. in  
*Finitivo* statu curatur, quod benè *Grotius l. 2. c. 16. §. 3.* adver-  
terat. (2.) Eo, quem *conjectura* idonea rei, & necessaria in-  
tellecturo suadet; uti in complexorum & simplicium *ἀμφι-  
βολία* & *ἐναντιοφανεία* usu venit, & in *Statib. Legalibus* discuti  
solet. Adi *Hermogen. Partit. Sect. 11, 12, & 14.*

2. *Coniunctim* vel ad loquentem, vel ad *causam* loquen-  
di talia, vel ad *rem*, quae significanda fuit; utrum faveant verba  
an noceant? Utrinsecus ea accipiendi, extendendi, restrin-  
gendique *causam* & modum, & *Grotius c. 1.* tractavit, & in-  
fra de *Modo Sentent.* indagabimus.

§. 12. II. Certitudinem excipit *Efficacia*; ut oratio sit  
ea non nuda declarationis, sed cum effectu enixa voluntatis,  
perurgentis dicta ad executionem & obsequium debitum.



Indè quidem, ubi semel lata est, lapsis fatalibus, sententia  
*rei iudicata* nomen vimque ducit.

§. 13. III. Addi solet istis *Conformitas cum Jure*, cum  
*Petito & Actis*; bene, si sententias spectamus omni parte &  
*Rectas & ex more* conceptas. Cum verò & *Lex & sententia*,  
quantumvis illarum conformitatum unâ alterâque carens,  
nomen suum adserat, tale attributum ceu specificum sub-  
alternum non admittetur. Et hæc de communi sententiæ  
conceptu.

§. 14. II. Pronunciatio contrahitur i. ad suum *Autorem*,  
*Judicem*. Is non quivis ac ὁ τυχὼν arbitranda litis compos,  
an cupiens; sed cui pro rei & partium statu ea facultas com-  
petit, *Habilis* nempè & *Competens*. *Pronunciasse enim & statuisse*  
*solemus dicere eos, qui jus habent cognoscendi*, l. 44. de *V. S.*

Nec interest, ipse an vicario ore id præstet, quales  
*Delegati hodiè commissarii*, voce tamen arctiore, dicti. Vid.  
*Molin. de J. & Tr. V. D. 8. de Ord. D. 14. de Deleg.* & ut differant.

Perindè, unus numero, an plures ad litem tractandam  
coëant. Ac de fortuito inter plures discidio res aliena est, de  
quâ vid. *Rennemann. P. IV. D. 45. Dn. Struv. cit. Oper. & Ex-*  
*ercit. §. 8.*

§. 15. 2. Ad *Objectum*, quod est *Causa*. Eam dicimus non *in-*  
*ferendi* sive *Logicam*; nec *essendi*, formaliter an virtute, aut  
saltem per modum radicis talem, quæ est ratio à priori, ac to-  
tiplex nomini mens è primâ philosophiâ. B. Zapf. *de Distinct.*  
*Virtual.* B. Slevogt. *D. de Princip. Syllog. in Divin.* & ibi citati.  
verùm istam, quam *Rhetor* appellat, cum de *Causar. Generi-*  
*bus* tractat; alioquin *hypothesein*, item *controvesiam*. Voss.  
*Comment. Rhet. lib. I. c. 1. §. 2. §. 5.*

Quamvis meritò dubitatur, an æquè lata acceptio *ἁπο-*  
*δείκτως & controversiæ* sit? M. Seneca, quo subniti vult Vos-  
sius, à *Suasoriâ*, eâpse tamen *ἁποδείκτως*, discernit. Et Vossius

c. 3. de



c. 3. de *hypothesebus demonstrativis* affert, quæ in *controversiam* non competunt. Sit sanè *ἡρώδης* quæstio *finita*, etiam *practica* aliquandò. An *omnis* verò, ac ea protenus *controversia*?

Ut in rem pauca addam: *controversia* caussis, *causse* hypothese angustiores; nec *sententia* per se subest nisi *controversia*. Id elucet, cum *finis* sententiæ & omnium *Judiciorum* proximus inspicitur, qui actio vel effectus quispiam in partibus litigantibus semper est. Idem finis in quæstione controversâ exprimi agnoscique debet, uti & personæ seu subjecta, à vel in quibus constituetur. Nec enim aliter habet in univèrsum, quandò thematum oratoriorum ratio probè attenditur. Cesant indè caussæ, quæ extra *judiciale* genus à rhetore agitantur. Vid. *Quintilian.* l. 3. c. 5. *Hermog. Partit.* S. 1. *Seneca Rhetor Pref. Controv.* Schott. *Pref. Oper.*

Cum porrò in uno & eodem *judicio* vel unius *controversiæ* agitatio plures quæstiones trahat, *causam* dicimus quamvis earum quæstionū; at non absque discrimine: *Primariam* præcipuè, cujus nempè *persuasio* per se intenditur: indè & cæteras, quæ suadentur *judici* eò, quia intentioni præcipuæ serviunt. Discernendi curam res & usus intulit, uti *Statuum* tam sollicitum examen, quo neglecto nemo sibi aliive patronus, quid velit possitve ac speret, exploratum habuerit. Add. *Hermog. Part. s. 3.* *Quintil.* l. 3. c. 6. *Voss. Comm.* l. 1. c. 6. s. 6.

Atque heic, uti præit *Hermogenes*, præcipua *propositio* appellatur *Intentio* absolutè, notâ ex ratione; *Græcis* *ἡρώδης*. Ejus *contradictoria* *Depulsio*, aliàs *ἀντιπρόσβολή*. *Firmamentorum* utrinsecus occæpta agitatio *Statuum* figurat. Is, pro vulgato interrogandi more, *An? Quid? Quale? Quantum-ve* sit factum? in *Conjecturalem*, *Finitivum*, *Qualitatis* & *Quantitatis* statum dividi solet. Verius ad *diversitatem prædicatorum*, ut *Conjecturalem* reddat quæstio de *Existentiâ*.



*tiâ rei factique sive præsentis, sive præteritâ, sive futurâ: Definitivum ea, quâ de Essentiâ & quæ huc faciunt, dubitatur: Tertium Accidentium congenerum imputatio simplex: Quartum eadem, cum sub In- & Extensione certâ spectantur. An ista verò quadriga omnem quæstionis, saltem civilis, molem promoveat, vix asseremus. Sanè de simplice. Sed compositæ, ut ex Absolutis, Cur? & Conditionata aliis castris clauduntur. Unaquævis harum qq. probatione eget. Illa in partibus Actoris συνέχου, continens sc. intentionem, ut proveniat; sed quæ à Reo profertur, αἴτιον dicitur. Utraque ex locis cuique statui δίκαιος, in causæ victoriam, urgetur. Hinc medium genus provenit, de quo omnis labor Judici est, κενόμενον vocitatum; quo resoluta desinit contentio. Species facti aliqua rem dilucidabit. Iphicrates, apud M. Senecam lib. VI. Controv. 5. dux Athenis bellicus in Thracas, victus cum victore, nomine reipublicæ, fedus icit. Redux & causam jussus dicere Thracas comites iudicio induxit, & hos armatos more gentis, & ipse gladio districto. Iudices citati sententiæ ferendæ, reum absolvunt. Ille de Vi iterum in iudicio fit reus. Actoris ἀποβολὴ est: Iphicrates capite puniendus est. Ex Lege: QUI VIM IN JUDICIO FECERIT, CAPITE PUNIATUR. Rei ἀντιἀποβολή: Iphicrates capite non est puniendus. Probat Actor: Iphicrates vim in iudicio fecit. Is contra: I. non fecit vim. Hinc Status: An Iphicrates vim fecerit in iudicio. Factam Prior docet: armis territos iudices. Id συνέχου sive continens efficaciam nempe futuram intentionis præcipuæ. Non factam vim, Alter: arma comitum ex more. Districtus à reo gladius, sese occisuro, si causâ caderet. Hoc hujus αἴτιον. Resultans inde dubitatio: an ea armatura tantum ex more; & mucro in præensum à reo finem? κενόμενον, ac istud est, quod si iudex altrinsecus definierit, causâ cessat, & primum intentum: Iphicrates cap. puniendus est, vel contra; obtentum est.*



§. 16. 3. Causæ his formalib. comprehensæ *Subiecta* respiciuntur, *Partes* nempe *litigantes*, quæ cum *Judice principalium* in *Judicio* personarum classem implent;

*Partes* dictæ, ut; n. κείσεως μέρη sunt κληρορία καὶ ἀπολογία, sic cadunt super personas, quarum utrinque circa rem propositam interest, modò *absolute*, modò cum hoc adjecto, *litigantium* &c. *Lis* enim s. causa est, quæ irritat pacatos ante, & sui agitatione reciproca læso δίκην ἑ, s. *Actoris*, lædenti φάρον τ, s. *Rei* titulos inscribit. Illapse *totiplex*, quot omninò non *Formula* modò ac *Edictum*, sed & *suboriens* aliundè inter *cives* *contradictio* elicit. Undè & *nomina* *Partibus*, ut *Reo Furis*, *Homicide*, *EffraCTORIS*, *Raptoris* &c. *Actori* *Expilati*, *Spoliati*, *Possessoris*, *Domini*, *Usufructuarii* &c.

In quo ut *Reatus* personam non egreditur, ita *Actoris*, *Volentis* utique & juxta cum *Reo Habitis*, vicem supplet aliquandò *fama voxq. publica*, ac *ipsum delictum* irritat *Judicem*, bono id quidem *publico*.

Nec mutat *fabulam*, si & *Isti*, ut *judex* ante, *vicariis* utantur. *Instrumentales* hi causæ sunt, & auctoramento suo principes personas obligant in gesta sua, pro amplitudine commissæ potestatis. Sicut perinde est an *altrinfecus* aut *utroque* unus pluresve homines constiterint. Numerus illi sunt, uno *actoris* aut *rei* elogio notabiles; quod in quavis universitate, vel sine *Syndico* litigante, perpetuum est.

§. 17. 4. *Deductio causæ in Judicium* opus est. *Judicium* verò s. *Forum* heic generatim dicitur, ubi quisque agere & conveniri debet.

Id cum à *Litium discrimine* admodum discernatur, ut *contractus*, *delicti*, *rei sitæ*, *continentiæ* causæ intuitu, *Judicis* unà *Habilitatem* & *Competentiam* supponit, coram quo *Partium*, quæ *communi* ob *patriam* & *domicilium*, aut *privilegiato* foro è *causarum* vel *personarum* conditione tenentur,

C

utri-



utriusque standi necessitas incumbat. Ea res, ut alia temporis & usûs inventa, in singulis rebus publicis variat, nec una perpetuò lege componi potest; uti vel deflexa ad eò Romani fori observantia abundè docet.

Ipsius interim *Processus* constans per naturalem æquitatem ingenium est, ut aliqualis *petitio, citatio, citati responsio, cognitio* causæ, & *probationes* utrobique necessariae sese excipiant, donec *sententia* iudicis absolvat litem. Conf. Carpzov. *Process. Tit. I. n. 22.*

*Accidentalia* verò & quæ ad *species* processûs ex naturâ rei pertinent, sive iudicium antecedant, s. comitentur, aut finiant, non omnibus semper eadem ubique occurrent. Stabunt, cadent, augebunt si volet usus reipubl. quem penes arbitrium est & vis & norma iudiciorum. Nec ergò moribus antiquis morosè inhaerendum, cum leges ad rempubl. non resp. ad illas applicanda. Add. Dn. Conr. *de Nomoth. & Orig. J. Germ.*

In sententiâ tamen id perennat, ut eâ *principalis* quaestio, eaque in solidum, non *accessoria* modò, terminentur, si animo litis finè, quem sententia per se requirit, conceptû velis.

Perpetua est & *Methodus* causam altrinsecus impugnandi tuendive, ut *Oratoria* in Partem sui *forensis* hanc vim vel maximè transfundit, ut sit *contrariorum*. Nec interim vel causarum varietas, vel externæ in agendo speciei mutatio fefellerit nisi incautos.

§. 18. Atque ista & in rationem sententiæ *generatim* valent: & eam *dirimunt* ab aliis decretis placitisque Superioris, quæ is, non tanquam *Judex, pro imperio* quidem, aut *consilio* sancit; ac nos inferiùs in *Cognatorum* serie adornabimus. Prælibandi verò generalia sententiarum consilium erat, ut faciliùs in Propositæ speciei proprias rationes penetraremus. Cum enim sententiæ totiplices emergant audiantve, quotquot & *causæ & Iudicia* ad illas properant; In hac specie

*Diffe-*



*Differentia* sunt ista, quòd sententia Nostra A JUDICE SUPREMO, NON ATTENTO JURE ET ORDINE RECEPTO, VI EMINENTIS DOMINII, proveniat.

§. 19. PRIMA Differentia à *Judice* sumitur, quem ut Jurisdictio primùm format, ita hujus nostri attenditur SUPREMITAS.

In qua extat I. *Independentia*. II. *Supereminentia*. Utraque ex descripta paulò ante Potestatis plenitudine, ut ea *Majestati* æquivalet, facilè colligitur.

Prior quidem: Dicebatur enim jus imperii *irrestrictum*. *Termini restringentes* à Baldo ad l. 2. de servit. & aqua. n. 40. notati, cum plenitudinem potestatis diceret *arbitrii plenitudinem, nulli necessitati subjectam, nullis juris publici ll. limitatam*. *Necessitas* indifferentiam animi tollit, illa, quam homo in hominem, armatà manu minisve torquet. *Leges & jura politica* imperantem sæpè pacto adigunt, ne speciem augusti imperii & nomina implere possit. Vid. *Polit. III. c. 10.* ibi Piccart. Add. H. Arnise. *Relect.* Besold. Dn. Conring. de *Regn. & Different. regn.* Judicem nostrum utroque isto humano vinculo, non alio, liberum volumus.

Undè non est, cur adversus *divina* auctoritatis judicia, cristas erigat, ritu Domitiani cum Jove *divisum*, quin Caligulae ingenio *superius* divino imperium affectans. Sveton. in *Vitt. utriusq.* Tales ut non verbo, at re tantos animorum infra notabimus.

Nec sanæ & universalis hominum *rationis* dictata suis decretis eversum ibit, ni suæmet conscientia adversari, sibi ultrò ruborè incutere sustineat. Vid. *Naturalis.* passim. Ni n.

§. 20. Porrò *Supereminentia* suæ improvidus sit, agnoscerit. *se hominibus imminere hominem*, humanis adeò morib. & ratione acturum.

2. Parti hominum *non maxima*. Universalem humani



generis rempublicam Morus gratia animi in Utopiâ quæret; Belga Boxhornius *Instit. I, 1.* figurâ locutionis excusabili fingit; deridiculo verò, ut ferii erroris, summorum ante imperiorum architecti; ac hodiernum Turcus, exemplo Persarum Parthorumque, qui sese regum reges, ac dominos dominantium prædicabant, illoque & hisdem cacozelo suo longè notabilior Romanus Papa; de cujus extra oleas sani & permissi iudicii vagantibus sententiis deinceps dicendi locus aperietur. Est scilicet *intra* laudatam sæpe *sphæram activitatis* errandum, & apta, in præsens imperium, Cyclopium disciplina, de quib. Homerus: *Ἐμισέει δ' ἕκαστος παίδων ἢ δ' ἀλόχων.*

3. Eisdem *civiliter sociatis*. Undè *humanis*, quæ civiles planè præcedunt ortu ac potestate, rationibus nil derogabit. Dn. Præses *Disp. de social. Homin. Civil.* Natura enim societatis civilis nil præter *indifferentium* determinationem iudicis huius arbitrio reliquit. *Naturalium*, quæ dixi, & *divinarum* legum interpret ipse & *minister*, non dominus, haberi potest.

§. 21. Quærenti nunc: *quid ita supremum illum iudicem his sententiis autorem desideremus*, non alium, qui forte suppetit, ordinarii dicasterii præsidem; cum tamen omnia iudicia in republicâ auspiciis Majestatis, tanquam supremi iudicis, procedant?

Isthoc fieri respondeo 1. *ob impotentiam iudicis inferioris*; quia non *recepto*, ut mox dicetur, jure propositum expeditur. Unde non habet subordinatus Judex, quam ad cynosuram heic procedat; nec enim vel permissa æquitas heic quicquam efficit. Quin inter mortuos locum tenet, cujus ut iudicis nulla prorogatur potentia.

2. *Ob incapacitatem ejus*. Hæc cognoscitur ex magnitudine & gravitate sententiæ; quam ergò, tanquam singularis exempli, ipsa Majestas, motu proprio, ac suo ore pronuntiabit.



nunciabit. Cessant nunc alia judicia, ad quæ cæteroquin  
caussæ civiles deferuntur, uti Mosis Iethro socer præclarè con-  
sulebat. Silet vox judicis inferioris, & sola Majestatis eloquia  
implent defixos in obsequia animos. Præscripta autem, *pro*  
*stylo curiarum*, Summar. Potestatum nomina ad Brissonianas  
formulas pertinent, quæ nil insoliti inferunt, sed auspiciam,  
à quo jurisdictioni auctoritas judiciis accesserit, venerabiliter  
declariant.

3. *Consilii pars est*. Scitum, ut prudentiæ, quæ *Et b. l. VI,*  
*c. 8. civilis* (*πολιτικῆ*) vocatur, ope Majestas ubique operosa  
esse debeat, jam per eam, tamquam *Nomotbeticam*, quæ,  
præciso à *singulorum* necessitatibus privatis consilio, *Statum*,  
disponit; jam per eandem in actu *singularium* occupetur,  
(illa tum *μερικῆ*) atque modò *futuri* curiosam, quæ *βουλευτικῆ*  
vocatur, utilitatibus publicis providens; modò *preterito-*  
*rum* arbitram, cum singulorum actus præmio pænaque ex  
merito, ad usum publicum, moderatur. (Sic quidem Græ-  
cus Paraphr. obscuriorem, judicio Dn. Conringii *de Prud.*  
*Civ. c. 9. p. m. 179.* sententiam Aristotelis illustrat. Add. Dn.  
Struy. *Exerc. I, § 11.*) Ut ut verò plerasque illas partes regi-  
minis manu & voce vicariâ passim tractet; non tamen conni-  
vendum, nedum committendum istis ministris unquam  
est, ut, in judiciis præsertim, vel minimum attentent, quod  
*novitate & magnitudine* defigat cives; & minores magistratus  
erigat ad earum rerum arbitrium, quod uno imperantium  
nutu flecti debet. Norant Romani Principes, nunquam latur-  
ri, si quidquam paulò majoris momenti Senatus ad se vocas-  
set, adeò, ut vel audacius in talia suffragium suis autoribus  
periculo ingenti esset. Vid. *Tacit. passim.* Ex eo Clapmar. *Ar-*  
*can. 3. c. 2. § c.*

§. 21. Nec istud protenus *tyrannicum* quid sapere dixe-  
ris; ubi *secundò* LIBERTAS PROCEDENDI Majestati in



solidum reservata spectatur. Non enim attento jure & ordine prescripto nunc decidendum est.

Jus hoc positivum est, ejus reipublicæ, in qua tale tribunal nonnunquam visitur; adeo ipsæ DEI Judaicam republ. disponentis leges merè civiles huc pertineant. Conf. Publicist. Judaic.

Ordo rationem procedendi in foro fori designat; idem non in diversis solùm statibus, sed & in eodem, pro caussarum & judiciorum determinatione, non ubique uniformis.

§. 22. Et Jus autem & Ordinem juris dicundi à majestate quàm primum sanciri, & ex usu civitatis & naturali rationi ac bono imperantis convenit.

Primum evidens est. Ut enim eleganter Politicus lib. IV. c. 4. §. 17. Socratem Platicum, ( qui oblitus honesti magis, quàm necessitatum corporis causâ civitatem omnem constitui, partes civitatis maximè necessarias agebat textorem, agricolam, sutorem & fabrum lignarium, ) arguebat: ἀλλὰ μὴν καὶ ἐν τοῖς τέτταροι καὶ τοῖς ὑποσιστῶν κοινωνοῖς ἀναγκαῖον εἶναι ἵνα τὸν ἀπιδώσονται καὶ κερῶν τὸ δίκαιον. εἴπερ ἐν τῇ ψυχῇ ἄνθρωπος ( Socrates ipse in Alcibiade Platonis Secundo ) θεῖν ζῶν μόνον μάλλον, σῶμα, καὶ πόλεων τὰ τοιαῦτα μάλλον θεπτόν τὸ δικαιούσης δικαστικῆς. Confer ad hæc Paraphr. Heins. & benè differentem Piccart. p. m. 528.

Porro natura nostræ id concinere firmat ἐκείωσις humani generis, quæ in nullâ civitate jus abesse aut aboleri sinit. Add. Dn. Ziegler. Not. ad Grot. Proleg. de hac re. Suarez. de LL. l. 1. c. 3. Dn. Struv. Cit. Exercit. I. §. 1. 2. 3. Et amplius evincit, ut actus omnes civiles exactè definiantur. μάλιστα, ait Rhetor, lib. I. c. 1. προσήκει τὰς ἐρθῶς κείμενας νόμους ἵνα ἐνδέχεται πάντα διωρῆζεν ἀσπίδες, καὶ εἰ ἐλάχιστα καταλείπειν ἵνα τοῖς κρίνεσι.

Ratio ibi duplex, eaque prudentissimè subjicitur. 1. Judicium imprudentia: ἔπειθ' αἱ μὲν νομοθεσίαι ἐκ πολλῶν χρόνων  
σκβ.



σκεψαμένων γίνονται, αὐτὸν δὲ κρείσσει ἐξ ὑπεργίας, ὥστε χαλεπὸν ἀπο-  
διδόναι τὸ δίκαιον, καὶ τὸ συμφέρον καλῶς τὰς κείνοντας. 2. Altera  
*Metus affectuum in iudice: Quod maximum est, legislatoris*  
*quidem iudicium est non de unâ aliquâ re, neque de presenti-*  
*bis, sed de futuris, & universè. At is qui deliberat, qui iudicium*  
*exercet, iam de presentibus & definitis iudicant; erga*  
*quos saepe aut amor, aut odium est, aut aliqua propria utilitatis*  
*conjunctio, ita ut non amplius possint perspicere, quid verum*  
*sit: sed aut propria voluptas, aut molestia tenebras iudicio of-*  
*fundat. Unde primam affirmativam concludit: Aliarum*  
*igitur rerum quàm fieri potest paucissimarum permittenda*  
*est iudici potestas. Sed fuerit, nec ne, sitne, an minus, ea cer-*  
*tè necesse est iudicum arbitrio permittere; neque enim hac*  
*prævidere Lator potest. Ead. mens Polit. lib. III. c. 15, 16. Conf.*  
*Mol. de J. & J. Tr. V. D. 68. n. 2. ubi Philosophi dicta, suppresso*  
*autore extendit. Thom. I. 2. q. 105. a. 1. ad 2.*

Istis præclarè consentiens Imperator *C. de Vet. jur. enucl.*  
*§. 18. βασιλείαν ὁ θεὸς διὰ τῆτο καθήκεν εἰς ἀνθρώπους, ὅπως ἀν-*  
*τοῖς δεομένοις ἀεὶ ἢ διατάττωσι τὴν τοῖς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀσθεσίαν*  
*ἀναπληροῖ τε, καὶ ῥητοῖς περικλείει νόμοις τε καὶ ὅροις. Hinc tan-*  
*ta legum ferendarum sollicitudo, etiam ubi manu regiâ*  
*& arbitrio proprio omnia flecti crederes, adeò ut idem*  
*Princeps subdat: Neque hoc nostrum nunc dicimus, sed iam*  
*omnium juris conditorum & c.*

*§. 23. Atque ista non in causis modò privatorum, sed*  
*sæpè circa ipsius statûs formam invalescunt, Boxhorn. Po-*  
*lit. I. 1. c. 9. unâ & modum procedendi determinant, quo ple-*  
*niùs, eò oportuniùs. Conf. Dn. Conring. Disp. de Nomotbet.*  
*Præfat. Processista. Cujus rei principium stabile est: interpre-*  
*tandi, mutandi abolendique juris eundem potentem esse,*  
*qui ejus condendi autor extiterat. Suarez. de Leg. tot. I. V.*

Quid



Quidquid inde per *ordinaria* judicia inter cives tractatur, hisce legibus tanquam regulæ agendorum consentire debet.

Ac sententiæ è tali principio promanantes à Nostrâ, quam spectamus, specie differunt, nedum ut nomen isthoc sustineant. Hæc autem, tanquam partem formalem sui, petit *recessum illum à jure & ordine recepto*. Cum verò receditur, non contemnitur jus receptum, nedum evertitur. Exceptio quædam à regulâ communi est, quâ sine pristinus rerum cursus passim obtinet; ut ille necessitates publicas monitori obvertens: *dormiant leges boiæ*. Sic solvi legibus Romæ soliti Annariis, &c. Leges ipsæ victæ. Conf. Tacit. *A. 2, 51*. Dio *l. 53*. Hinc Clapmar. *3, 4*.

Nec interest, & jus & ordinem illum unâ seponi; suffecerit alterutrius omissio. Conf. Petra *c. 25. per tot.* & Nos *infra de Specieb.* Sentent. har.

§.24. Ea enim perindè refunditur in VIM DECIDENDI istam, quæ per *Eminens* judicis supremi *Dominium*, velut *Tertiam* differentiam hujusmodi sententiarum, demum consistit.

§.25. Hanc tamen percipere, & commodè tueri arduum sit contra tot præjudicia, quibus pro jure recepto nitentibus omnia, quæ Majestas aliter digerit, injustitiæ & quantævis tyrannidis vel irritamenta vel documenta habentur.

E pluribus audiatur jam *Didacus Covarruvias*, *Boccaliano* Apollini meritò probatus. *Cent. II. Rel. 70. in Variar. Resol. l. 3. c. 6. ad Quæst. Quo pacto princeps valeat tollere aut mutare testatoris voluntatem, quoad fideicommiss. vel majorat. post alia, n. 8.* Paulū Castrensem acriter corripit, quòd in *l. si testamentū. censuerit: principem ex potestate absolutâ posse testam. & ult. priv. voluntati. derogare; licet id non possit facere potestate ordina-*



*dinaria. Hæc, ait, distinctio in humanis principibus falsissima est, & adeo absurda, ut mirer omnino, viros utriusque juris peritissimos eam usos fuisse. Hic enim non agimus de his, quæ per injuriam & violentiam princeps facere potest, cum id non pertineat ad JCtos; nec in eam conveniat nostra disputatio; ac potius belli duces & milites, quam viri literis & eruditione præditi sint consulendi. At nobis ea disputatio convenit, quæ tractat de his, quæ jure absque injuriâ princeps agere potest. Abhorrere prorsus & fugere tenemur absolutæ potestatis mentionem. Quod manifestâ argumentatione ostenditur: Nam quod princeps, etiam derogando LL. humanis, jure naturali, divino & humano facere valet, id ad ordinariam principis potestatem pertinet. Jure siquidem concessa potestas ordinaria dicitur, non absoluta; cum nil absolutum cuiquam, etiam principi, jure sit permissum. Quod autem princeps agere nequit jure humano, divino, nec naturali, id non ad potestatem principis, quæ ex jure deducatur, sed ad tyrannidem, quæ ex injuriâ oritur, pertinet. Hoc ex Baldi nuper recitata Plenitudinis potestatis definitione liquidum putat &, quasi ex Baldi præsuppositis, concludit: igitur princeps nullâ rationis necessitate constrictus liberè poterit adversus ejusdem rationis dictamen uti absolutâ potestate. Hoc autem quàm sit absurdum ipsemet Baldus respondebit, cum in eadem l. 2. n. 42. asseverat: principem animal esse rationale, rationi subditum.*

§. 26. Eadem ferè iterari videmus, cum illustres aliquot Grotiani de I. B. & P. operis interpretes Grotio, non utique spernendo affirmativæ assertori, cum l. 1. c. 1. §. 6. scripsisset: hæc (moralis) facultas duplex est: vulgaris sc. quæ usus particularis causâ comparata est; & eminent, quæ superior est jure vulgari, utpote communitati competens in partes & res partium, boni communis causâ &c. admodum adversantur.

D

Prin-



Principem, ajunt, non posse subditis suis sine causa res & facultates auferre, ne quidem jure civili quasitas. Quamvis enim sit supra jus civile, ipsum tamen dominium ex jure primo procedere, ab eoque jure omnia jura originem ducere, quocumque titulo aut ratione quasita. Justam autem causam, scilicet que cum necessitate & utilitate publica est conjuncta, principi hoc permittere, ut bona subditorum, etiam non consentientium, alienare possit. Etsi enim lex naturalis alteri suum auferre prohibeat, legem tamen aliam superiorem jubere, ut salus publica procuretur. Ut vero dominium aliquod eminens inde cum Grotio extruamus, nullam rationem cogere; Ipsam enim vim imperii, propter salutem publicam instituti, sufficientem titulum Principi præbere urgente necessitate utendi bonis suorum subditorum, eò, quòd omnia ea simul concessa intelliguntur, sine quibus obtineri bonum commune non potest. Ambitiosum esse vocabulum domini, idque Principi si tribuendum sit verendum, ut in officio suo contineri semper possit ille, quantumvis optimus & integerrimus; quòd multa secum afferat ejusmodi fortuna, que à recto dimovere soleant. Et quid non metendum fore tum, ubi principi id suggesseris rerum imperito, privatis intento commoditatibus, publicarum utilitatum pene hosti, addicto voluptatibus, osori libertatis & veri, nihil minus, quàm salutem reipubl. cogitanti, sed omnia suà libidine suisque commodis metienti. Tum vero que subditorum futura sit conditio, facile omnibus constare.

§. 27, Alios tamen, nec minori dignatione ac specie, aliorum abire, Arniseus de Jur. Majest. l. 1. c. 3, §. 3. notat, ac probat, uti Dn. Boeclerus Digress. d. b. r. ad cit. Grot. locum. Quibus lævo major addi meretur Petrus Anton. de Petra Præses Placentinus, cit. Opere de J. quasit. non tollend. per Princip. Hic c. 1. n. 9. Covarruviam erroneè labi contendit,

cum



cum aliqua sint, quæ princeps potest cum causâ; & hæc ad ordinatam pertinere potestatem; quæ clam, quæ sine causâ; & hæc ad absolutam pertinere.

§. 28. Inter tantos ut vocem mittere anceps sit, ipsorum tamen perspecta professaque humanitas, & irrestricta sentiendi pro ingenio libertas inducit.

Primò Nominum idonea explicatio opus est, Potentiæ nempe Absolutæ & ordinatæ, Domini ejusque eminentis, & si quæ hujus vera synonyma suppetunt. Potentiæ ergò in ordinatam & absolutam distinctio est subdivisio potentiæ rationalis & liberæ. In omni enim agente (infit Doctor Subtilis, in l. sentent. D. 44. q. un.) per intellectum & voluntatem, potente agere conformiter legi rectæ, & tamen non necessariò agere, licet distinguere potentiæ ordinatam à potentiâ absolutâ. E ratio hujus est: quia potest agere conformiter illi legi rectæ; & tunc agit secundum potentiæ ordinatam; (Ordinata autem est, in quantum est principium exequendi alia conformiter legi rectæ, secundum ordinem præfixum ab illâ lege) & potest agere præter illam legem, vel contra eam; & in hoc est potentia absoluta, excedens potentiæ ordinatam: & ideò non est tantum in Deo, sed in omni agente libero (quod potest agere secundum dictamen rectæ rationis vel rectæ legis, & præter talem legem, & contra eam,) licebit distinguere potentiæ ordinatam & absolutam. Ideò dicunt Jcti: quòd quis possit hoc facere de facto, i. e. potentiâ suâ absolutâ; vel de jure, i. e. potentiâ suâ ordinatâ secundum jura.

§. 29. Nunc ubi de Majestatis Civilis (nec enim ad Monarchiam solummodò spectat) potestate quæritur, cum ipsa sit (nullo diffesso) summa ubique in civitate potestas; & eadem (ut vestigiis Thomæ P. I. Qu. 25. a. 5. in 1. insistamus) propter bonitatem suam agat, quæ inproportionabiliter omnia à se



erga singulos civēs facta excedit, evidens est, quod potentia imperantis determinetur ad aliquem cursum rerum in civitate, propter ordinem prudentiæ & justitiæ suæ. Nam principis ( & quorumvis reverè majestatis præditorum) prudentia totum posse potentia comprehendit. Sed tamen ordo, à prudentiâ imperantis rebus civilibus inditus, non mox adequat prudentiam illius, sic, ut prudentia ejus limitetur ad hunc ordinem, nec possit alius cursum rerum effluere. Potentia scilicet intelligitur ut exequens, voluntas ut imperans, intellectus ut dirigens. Jam quicquid attribuitur potentia imperantis, secundum se considerata, dicitur imperans posse secundam potentiam absolutam. Et hujusmodi est omne illud, in quo potest salvari ratio entis ac boni politici. Quod autem attribuitur potentia imperantis, secundum quod exequitur imperium voluntatis, per prudentiam aliquò directâ, hoc dicitur imperans facere posse de potentia ordinatâ.

Unde nil repugnat, eandem numero potestatem jam ordinatam jam absolutam dici, alterutro etiam modo aliquid rectè fieri. Cum enim ordinis, à quo ordinata dicitur, tota ratio, quam prudens rebus civilibus imponit, à fine desumatur, eo nempe, qui est præsentis Status vel conservatio vel & in melius mutatio, aut omnem & bonitatem & prudentiam imperantis jam exhaustam per illum ordinem esse dicemus, id quod tamen vix licet; aut in ambabus multa superesse, quæ ex integro & benè provideri, & potenter ad finem dirigî possint.

Cæterum potestas, ut respiciens finem reip. universalem, movet potestatem aut eos hujusdem actus, qui ad fines particulares respiciant; ac potest, quicquid potest hæc inferior, quippe amplior, & eminenter seu virtute istam continens.

S. 30. Ea ex aliorum benedictis describi potest ut

Potestas



*Potestas, majestati civili in singulorum personas, res & actiones, ultra quam jus receptum finit, competens, ac publica salutis intuitu exercenda.*

§. 31. Addunt alii 1. Potestati, ut legitima sit; at illegitima potestas nunquam intelligitur. 2. *Objectum* potestatis statuunt cives, cum addito, *invitis*. Sed vel ordinaria potestas, invitis civibus, multa disponere solet. 3. Eam à *majestate civili* oriri. Id commodè explicabitur. Alioquin & sui ipsius autor diceretur majestas, & contra Monarchomachos impediatur hâc parte divini originis demonstratio.

§. 32. Salvò altiori judicio nos datæ descriptioni inhærebimus. Cum igitur 1. *potestas* dicitur, eadem permissa jure non iniquo supponitur, ac infra, cum sententiarum talium *justitia* requiretur, suo loco confirmabitur.

§. 33. 2. *Subjectum* ejus est is, illive quorum est majestas, quatenus hæc habetur plenè, in- & extensivè, per dicta initio: ita nulla respublica ejus incapax aut expers est. Uti in de *causa efficiente* Sentent. istar. patebit.

§. 34. 3. *Objectum* quod sunt *Cives*, ac omnes etiam temporarii subditi; *Objectum* quo dicimus istorum *Personas, Res & Actiones*. quod itidem in progressu de *subjecto* hujus argum. deducendum erit.

§. 35. 4. *Actus*, quo Potestas eminens fertur in ista, motiones sunt à Majestatis placito *mero* tendentes in objecta item designata. Eadem ex collatione cum iis actibus, quos civilis Majestas non *tali*, sed *usitata* ratione suscipit, optimè perspiciuntur.

In *Onerosis* patet, & communiter explicari solet, cum vel in periculo vitæ pro Republ. vel in exercitio vel omissione actionis, vel in rerum suarum impendio in publicum, singuli ultramodum partis non onerantur, ubi quidem recepto



more & jure procedimus. At, civis unius pluriumve periculum de salute, e. c. deditio innocentis, obsidum traditio vel maximè invitorum; bonorum jactura enormis & reliquis civibus neutiquam communis, ut cessio jurium, corporum &c. impulsu imperantium proveniens, actum monstrat à principio eminentiori manantem.

In *Beneficiis* ex magistratuum, munerum, officiorum, honorum, privilegiorum collatione, pristino mori ac legibus ineptâ, sed ab eadem manu potentiori profectâ, eodem spectabitur, & in *de Speciebus Sent.* cognoscetur.

§ 36. 5. *Ratio sive potentia agendi* duci solet à *Fine*, actionis (1.) *Communi*. Hic *Salus publica* dicitur; non, ut vulgò, & quâ ratione cuncta servando Statui applicantur. Addunt enim *periculo totius Status tunc consuli, praestari publicam securitatem, urgere summam necessitatem, ipsum negotium magnitudine eminere.*

Opinor: 1. rationem causandi in Majestatem ipsam refundi, & cum eadem idem esse, 2. Finem habere sese ut rationem impulsivam, ac eum heic esse dicendum, qui sit vel *extrema melioratio Status*, usitatâ viâ aut nunquam, aut difficulter parabilis; vel *Aversio Detrimenti*, quod solitis remediis caveri, sisti amoverique penitùs aut commodè nequit. Quale S<sup>C</sup>ta illa Romana sustinebat: *videant Coss. ne quid respubl. detrimenti capiat.*

Nempè ut Aristoteles in consilio spectari docet *utilitatem* non modò *simplicem*, sed & *comparatam*, quarum hæc æstimatur *ὑποχρῆ* boni ad id, quod usitatum notumve est; nec modò *positivo* actu persecutionis, sed etiam *omissione* & *privatione* quadam sæpè constituitur. Vid. *Rhetor. I, c. 6. & 7.* ubi ista incomparabili studio annotatur, & agnoscit P. Victor. J. Sturm. in *Annot.* Sic *mediorum* ad finem talismodi *selectus* habet



habet sese. Cum tuendi vel & augendi rempublicam admi-  
nicula solita non sufficiunt, aut usum minus certum, tu-  
tum, expeditum, pro rerum temporumve statu, præbere  
videntur imperanti, cuius prudentiæ istud meritò relinqui-  
tur arbitrandum, ad nova tum itur præsidia.

2. *Singulari* qui sit *Indemnitas*, præstita per *Compensatio-  
nem*, quæ læsis inæqualitate oneris ac periculi ab his, quibus  
ille excessus usui fuit, debetur. Nec enim id non interest rei-  
publicæ, uti membra civitatis æqualitate bonorum æquæ  
ac malorum contineantur; ni velimus excessu tali labem re-  
liquorum prosperis clam palamve inferri. Vid. Polit. V, c. 3. ibi  
Piccart. Politici communiter de *Mutatione rerum publ.*

Dicas, eam in *Beneficis* pari passu processuram, ut æqua-  
litas aliis modis instauretur. Hanc quidem an, quorum &  
*qualis* meritò habeatur, alibi declarabimus, cum res non-  
trium linearum sit.

At quod attinet ad *proximam agendi rationem*, ea ipsa *e-  
minentia imperii* esse videtur. Jus dicimus majestatis, in  
*usus publicos per statas vulgatasque agendi regulas non solitum  
diffundi*, utpote caussis id inducendi exercendique ob magni-  
tudinem sui & suorum consequentium, rarioribus, sæpè &  
minus optabilibus.

Ut autem porrò vestigetur, *quâ consilii & recti specie ea  
vis imperantium diffundat sese?* diversa quæstio est, ferè in  
eos, quos dixi, fines resolvi solita.

§ 37. Nobis enim in *Judicio Eminentiam* istam sus-  
pectantibus abundè fuerint allata hætenus, ut probent r.  
*Voces potestatis absoluta & ordinata* boni usus & mentis vi-  
deri non ad militarem licentiam cum Covarruviâ expelli  
meritas. Ita citata *Scoti dicta* idoneè, ni fallor, suggerunt.  
Ex se quidem hoc & alia synonyma, ut *plenitudo potest. odio-  
sa non*



sa non sunt, quamvis & Cravettæ & Petræ idem videatur. Adde tamen quæ Suarez. de h. r. de ll. l. 5. n. 3. limitat. Nendum purum putum commentum, ut Molina *tr. 2. D. 174.* cum Fernand. Vasquez. & aliis existimavit, quos Dn. D. Eiben. Not. ad Perez. in *l. 7. C. de Precib. Imper. offer.* citat.

2. In *humanis* Imperiis easdem rectè adhiberi, & quidem illis, quæ tyrannidis suspecta neutiquam sunt. Ille *cit. loc. Ordinatum* dicit, *quam divina & humana jura concedunt.* Eam sequentes exponunt: vim imperii propter salutem publicam instituti: verba retuli §. 26. *Arctiori ambitu alteri: que legibus positivis reipubl. alligatur.* Sicut & ordinaria *DEI* potestas vocatur, *quam ipse promissis suis determinavit,* verba sunt Arnisæi, *c. l. n. 4.* qui hac comparatione utitur ad *Imperantem*, tanquam corporalem quendam in suâ republicâ *DEUM*, ac humanum Jovem, licet & ipse hominum more emoriatur, *Plaut. Casin.* Limitatum verò jam ante est: Sphæram activitatis ab imperante non posse excedi.

§. 38. Languescit ergò telum Covarruvix: *Potestas, jure divino, naturali & humano Principi competens, est ordinaria, & nulla relinquitur absoluta.* Ludit enim *ordinarii* vocabulo. *Absolutum* componi debet in eodem genere rerum: à *positivis* hominum ejusdem reipubl. legibus absolvi Principem, & vi earum tam directivâ, quàm coactivâ, seu quoad observantiam & vinculum, non est: à *divinis* etiam ac *naturalibus* liberatum esse. Humana verò illa, tanquam inolita & civitati accommodata, ut & potestas illis consentanea bene *ordinaria* dicentur.

Cum autem istis sub-ob-vel derogatur, uti licere aliquando Covarruvix adstipulatores, quos audivimus §. 26. ultro fatentur, suoq; loco distinctiùs excutiemus, quidni illo ipso à *pristinis institutis recessu eadem potestas absoluta* (à talis



( à talis nempe juris vinculo ) & quoad illum facultatis modum, plena, plenissima appellabitur eritque?

Tanto minus causæ fuit Baldo inequitandi, cujus sobria verba malè torquentur, ut jam ante notatum Arniseo c. 6. Nam & res evincit diversum, & Baldi luculenta satis explicatio, cum addit: quod Princeps sit animal rationale, politicum, morale, ligatum dictamine rationis naturalis.

§. 39. Abusum metui sentio in animis imperantium quorundam. Sed nec vocum temperie, dum manere vellent vetera magistratum nomina apud Tacit. *Annal. Svet. Aug. & Tiber. se Dominos &c.* nollent vocari, Augustum Tiberiumve de rigore Imperii demsisse novimus; uti non Caligula, Nero, Domitianus ac sequentes plerique, qui abjectâ larvâ, verba rebus aptabant. Contra ac hodiè ingentibus elogiis res sæpiùs defunt. Nec alioquin ea ratio ulli concludens habebitur.

Quin sui & potestatis propriæ ignarus, ne merebitur augustorum titulorum usum; nedum dignâ generositate tuebatur, maximè tum, ubi publica salus extrema remedia exposcet.

Ne interim imperantes ex magnâ fortunâ non nisi licentiam usurpent, sed rectum cursum in undoso illo rerum publ. mari teneant, præstò sunt divinarum & naturalium legum monitoria. His quantum adversus humana jura facultatis est, tanta ab divinis illis & conscientiæ dictatis necessitas ingruit. Etiam civium patientiæ ratio habebitur.

§. 40. Putatis ita rationibus Partium nõ abhorreat statuere: eodem ipsas tandè utrinq; devenire. Causam casumq; dari, ut personæ, actiones & bona subditorum vel invidiorum ad usus singulares vertantur, Salutis publicæ respectu, & Covarruvias & ejus *avtídno* annuunt. Id jus iste sub ordinario, alteri sub extraordinario complectuntur. Utri nominibus

E

magis



magis appositè utantur, ex dictis iudicium non obscurum capiatur. Petra certè Vasquium, qui *Controv. Ill. l. 1. c. 5. n. 15.* potestatem Principis absolutam, quatenus *benè* ad Jus divinum & naturale *regulata* est, ab *ordinariâ* nil differre dixerat, malè sensisse, rectè asserit, *c. 3. n. 2.* Et perquam moderatè Dn. D. Eiben. in *Cod. c. l. Nihil certò prohibet, quò minus & ea, in quibus plenioris Jctis exempla queruntur, ordinaria potestati expenso feramus, utpote quæ, publica causa rationibus id exigentibus, legum civilium vinculis illigata haud tenetur. Quanquam in verbis, modò ipsâ de re constet, nò sit, ut difficiles nos præbeamus.* Cum illis vero monarchomachis, qui omnem imperantium potestatem *administrationis publica*, quæ minor. magistratuum propria est. Dn. Præs. *de b. r. Diss.* ac latè à Gvilh. Barclajo, Arnifæo, aliisque de professo confutantur; Neutri harum partium quidquam commune est.

§. 41 Nobis ab hoc præcognito digredi jam convenit ad sententiam ipsam. Quæ ab eminenti dominio pendet, tanquam ratione à priori immediatâ, in quam ista proximè resolvitur: *sic visum superis.* Eâ propè formâ, quâ Romani Ansibarios, vacuas petentes terras vitæ suæ, absterrebant: *parendum melioribus. Id diis, quos invocarent, placitum, ut arbitrium penes se maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios iudices, quàm seipso paterentur.* Tacit. *Annal. XIII, 56.* Cæterùm quòd Dd. in hoc negotio tam variè loqui constat, ut, iudicio Petræ *c. 24. n. 1.* vix secerni possit, quænam sit verior & receptior sententia, cum plenitudinem potestatis, s. eminentis dominium, jam subintellecto: *cum causâ*; jam simpliciter in hac materiâ accipiant; Insuper de *causâ* ipsâ, quæ qualisve sufficiat, ejusque præsumptione; Nec minus, cum de re indifferenti adhuc, aut præiudicio tertii futurâ quæritur: spectat omninò ea ratio ad *Qualitatem* s. Justitiam sententia-



tentiarum istarum. Interim ambiguum fit, i. utrum in judiciali sententia, quæ vi talis imperii conditur, imperium istud semper *cum causâ* (*impulsivam* dicimus eamque juri consentaneam, licet illi non recepto. Et verò, *procedere juris ordine non servato*, esse: *tollere justitiam*, quod arguitur apud Petr. c. 25. n. 85. deinceps falso dici patebit) esse intelligi eoque restringi debeat? 2. Unde id constet? Sanè quod prius concernit, & vota partium & res ipsa monere possit, nunquam pro imperio, nisi ex justâ ratione decerni. Sed nec causæ impulsivæ ac fines per se ingrediuntur formalem conceptum sententiæ in communi, ut supra visum est, ac ultro patet; & in hac specie videtur absolvi posse ratio ejus, nec dum expresso isthoc addidamento.

§. 42. Cum Petra tamen c. 3. q. 2. a. 1. non nemo intulerit: *Sententiam* ergò *istam* vix animo comprehendit; cum sententia generatim ex causâ sit, verâ an præsumtâ. At plenitudo potestatis ea, quæ *facti* solùm clypeo tegitur, & sine causâ & ratione est, à solaque & nuda imperantis voluntate ac nutu consistens, eo ipso juri naturali divinoque repugnat. Clausula verò *de plen. potestatis* intelligi unicè debet de *bonâ & laudabili*, non autem de vituperabili & tyrannicâ. Alioquin ista clausula erit abusiva cautela, & quæ propterea debet in totum eradicari à vitâ imperantium: tum enim *absoluta potestas* verè violentia erit, licet honestiore vocabulo appelletur *suprema, plena, plenissima potestas*. Nec verò aliter (nisi de bonâ & laudabili) intelligitur, cum Papa aliive majestate pollentes *de plen. potest.* rescribunt.

§. 43. Verum tamen istud neutiquam sequitur. *Primum* enim ad rationem sententiæ in communi sufficiunt, quæ Th. II. dicta sunt; nec tamen eisdem ratio sententionandi expressè inest.



ineft. Et quis neget causam iudicii à iudicio re & ratione differre?

Deinde perperam ponuntur velut eadem, plenitudo potestatis & absoluta potestas sine causâ; & ea, quæ juri naturali divinoq; repugnat. De ratione s. conceptû primo ejus potestatis non est laudabilitas, uti nec vituperabilitas. Alterutrum consequi demum ex naturâ rei solet. Aliàs omnis legislatio Nomotheticæ potestatis ex tali criminatione suspecta fiet. Nec enim in legis indole aliud, quàm voluntatem legislatoris per se primò intuemur: ac inde, tanquam proprium primūque effectum in subdito agnoscimus obligationem ad obsequium. Ipsa superiorum decreta, cum auctoritatem præscribunt, idem postulant.

Si urgeat quis: expendi mox, itaque videri velle superiorem, quàm naturali divinoq; juri nil adversum, ac magis in publicum utiliter statuerit; Reponere licet: perindè in sententiis talibus aliâ & secundâ velut curâ dispici rationem decidendî, cujus intuitu majestas pro imperio sic decreverit. Uti verò non ea lex protinus injusta est, cujus ratio immediata (nostro concipiendi modo) non sit justitia interna; eoque modò iniquitas absolutè imputabitur sententiæ tali, quæ in meram voluntatem Judicis supremi immediatè resolvitur?

§. 44. Deindè mala collectio est: clausula de plen. pot. regulariter de bonâ & laudabili accipitur, E. sententia facti simplicis clypeo tecta, ut talis, repugnat justitia interna. Lapsi causâ sunt, qui actus humanos generatim moralitate, tanquam primo formali, expresserunt, emotâ sic indifferentiâ. Vereor, ne pari casu actus Majestatis liber, qualis sententia isthac est, cum ejusdem bonitate & prudentiâ confundatur. Nempè alia est motio Judicis supremi, vi judiciariâ sese aliquorsum in lite tollendâ determinantis; alia est relatio motionis



tionis talis ad principium directivum externum, quale est dictamen legis divinæ & naturalis, id quod ille primò & expressè includi naturæ talis sententiæ volebat. Fiet certè, ut institutâ collatione tali, sententiæ juri prætenso nil adverteatur, nedum, ut meritò partes de ablato sibi, præter fas, jure, quæsito conqverantur. An autem *causa* semper subesse debeat & quæ *illa*, postea in de *Qualitate Sentent. istar.* curabitur.

§. 45. Planè usu venit ut vix laudetur judex ab eo, à quo qui damnas est. Sicut in lautissimâ hospitem curâ raro deest, qui non malam sui tractationem arguat: Perinde ac magis in fori contentionibus fieri amat; quanto sua cuique magis placent, disparente præsertim ad primum vulgè intuitum ratione decidendi, ingenio Sempronii Caji que responsurâ, obscuris ad summam rerum cautè nitentium consiliis, quæ, ut pleraque imperantium, abyssus arcanorum haberi oportet, ac pro præsentis instituto, cum de *Præsumptione causæ* agemus, amplius demonstrabitur. At augustior majestas videtur, quàm ut malè affectorum criminatio, & caritatibus rerum privatarum ita subjaceat, undè ad salutem publicam directò collimanti integrum non sit, sepositis aliquando privatis & civilibus illis rationibus singulorum, jus dictitare. Hoc enim Palladio tradito nec Respublica perstare, nec Majestas ipsa cogitari poterit.

§. 46. II. Quod ad *Notitiam* talis sententiæ attinet, è Judicis Voluntate intelligitur. Ac Ordinariè censetur supremus Judex ad hoc statuendi genus non procedere; cum primis ubi tertii præjudicium intercedit, quod in lite qs. perpetuum habetur. Petra c. 39. Molina de J. & J. Tr. c. 11. Suarez. de LL. l. 5. c. 11. Lugo Card. de J. & J. Tr. 2. D. 38. f. 8. Quòd si signa Voluntatis, ut verba, tale quid præ se tulerint, uti Clausulæ, de plenitudine



*potestatis, non obstante, indulgemus, volentes non liberales exhibere, supplentes, ex certâ scientiâ, motu proprio &c.* quales & Teuto adhibet, indicatas *cap. 2.* ea potius flecti & impropriari debere ajunt: certè saltem accessoriè posita ad judicariam dispositionem, quin frustratoria & superflua esse, quæ non amplient illam, ubi aliàs non erat præjudicialis; eò quòd verba apposita in decretis debeant flecti secundum dispositionem juris & æquitatis, & ei applicari, licet sonus eorum non patiat. Verùm, ut talium formularum solennitas sæpè *reverentialis, non potestativa* evadat; cum tamen in scripti & sententiæ discussione verborum primæ ac directæ menti, præsertim in rigido Judicum eloquio, non facilè derogandum sit, & sæpè natura atque qualitas rei, tum illamet clausulæ, quantum in his est, sive conjunctim sive solitariè positæ, planè diversum exigere videantur, istas Demonstrativum effectum talis voluntatis ordinariè operari tutò affirmaveris: Sicut in *de Modo sentent.* talium, cum primis quòd vel unius clausulæ: *non obstante,* materia, judicio Cravettæ *Conf. 126. n. 1.* apud Petram *c. 43. n. 3.* alta & profunda sit, & in quâ mirè variatum sit inter antiquos & modernos, plenius ostendetur. Illa verò magis *δρακίψως* oportuna, quàm seriæ mentis documenta haberi nunc volumus.



*Fin-*



*Επίμειλε.*  
1.  
Ut Syllogismus *δεικτικός* cum *διδασκαλικῶ* & utri-  
que subjecta Inductio in plerisque conveni-  
unt; ita *Κεῦψις*, *Ἀπογωγή* & *Μετέληψις* male  
confunduntur. Vid. Neldel. *Instit. Organ.* Piccarti  
*Synopsi Organ.* Stal. *Not. ad Hornei. Log. l. 3. c. 8.*

2.  
Ecquod iudicium videbitur P. Hurt. Mendo-  
zæ *Disp. Phys. X. Ss. 3. n. 42.* cum ab opinione Du-  
ranti & Aureoli, opinantium; posse creaturas, & re-  
ipsa operari absque concursu D E I immediato, esse non  
vult, sed sequi communiorem Scholasticorum  
sententiam, admittentem D E I immediatum in-  
fluxum in omne ens creatum: *non quia id demon-  
stretur aperte; Sed quia major Autorum vis conspiravit ab-  
evo?* Et Annon, salvis aliis veritatibus, cum Du-  
rando stari possit?

3.  
Ad huc suâ veritate claret, quod L. VII. *Me-  
taph. c. IX, t. 30.* Τρόπον τινα ἀπείρα γίνεσθαι ἐξ  
*ὁμωνύμων*, asseritur; sive univocatio (id enim  
nunc *ὁμωνυμία* est) ad effectiva, sive ad for-  
malia principia referatur, quod utrinsecus *cit. loc.*  
fit.

4.  
Nulla actio mixta violenta est; nec actio hu-  
mana





*mana* formaliter moralis. Licet aliò tendat Becan.  
*Theol. Scholast. Tr. I. c. 3. q. 4. & alii priores.*

*Majus & minus* ut in *naturalibus*, sic in *civili-*  
*bus* non variant speciem. Adè novis ad Aulæ,  
ad reipubl. catam tractationem monitis licebit  
superfessuro, cum principium sui applicatione va-  
riâ non nisi ineptè multiplicari dicatur.

Bona consilii *per tertium* tractatio, nec tamen  
in rem est, Tertium tui, ut autoris, personam in-  
duere. Tertio perinde, inter alia multa, cauto opus,  
ne à *principalis physica*, in *organicæ causæ* statum  
abeat; ac utrobique, ut simius per catti manum  
solet calentes ex ollâ carnes, suo ipsius pericu-  
lo negotium protrahat.

Par ne Quintæ Monarchiæ, quæ quatuor  
Summorum Imperiorum, fides esto?

**F I N I S.**



3  
ULB Halle  
004 795 92X




SB

VD 17











D.B.F.

1671, 17

17

# TAS MA- KEMPLI,

SIVE  
TRIBE

De  
EX PLENITU-  
ATIS PROPECTIS,

Htsprüchen/  
Annal. Lib. XIV, C. 42.

RESIDE  
O MÜLLERO,

äf. P. P. ac h. t. suæ  
t. Decano,

*xercitium publicè*  
*proposita*

AB  
RESPONDENTE  
VIDE STAPENIO,

ase Misnico.  
mbr. Anno M. DC. LXXI.

JENÆ  
HANNIS NISL

